



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

173. fer. 6. De Spirituum discretione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

304 *Feria 6. Domin. Pentecost.*

*dam de hominibus, quam de fructibus carnis,
& spiritus arbitror pronuntiatum: quia nec
spiritus potest unquam ea vitia, qua in carnis
operibus numerata sunt, facere; nec caro his fru-
ctibus, qui oriuntur ex spiritu, redundare: po-
test tamen fieri per negligentiam possidentis, ut
spiritus, qui versatur in homine, fructus non
habeat suos.*

*Conf. 3. Meam negligentiam detestabi-
lem: si enim arbor fui non fructifera, male-
dicto proximus sum. invocabo spiritum
sanctum, quia, cui spiritus sanctus infunditur,
magnarum est plenitudo virtutum S. Ambros.
in cap. x. Luc.*

MEDITATIO CLXXIII.

Feria 6. Domin. Pentecost.

De Spirituum discretionem,

Aspiciam felleam malignitatem spiritus
diabolici, qui si non potest peccatis gra-
vibus, conatur venialibus inficere: quod si
nec istis, saltem molestis cogitationibus per-
turbat; adeo neminem, nec quidem Filium
Dei intentatum relinquit. Petam intelligere
originem spiritus boni, & mali, ut hunc evi-
tem, illum sequar.

*Conf. 1. Discretionem spirituum esse do-
num Dei, quod ex parte nostra per modum
artis conjecturalis acquiritur, ideoque fal-
lere*

Feria 6. Domin. Pentecost. 305

lere potest, nisi non pauca, sed complura in unum aggregentur.

Conf. 3. Septem requisita in homine, ut Spiritus discernat. 1. Bonus intellectus. 2. Passionum dominium: nam qui amant, ait Orig. ipsi sibi somnia fingunt. Et Gerson inquit, debere esse in pace locum personæ volentis Spiritum discernere: quia perturbatio pestis nocentissima, & insanabilis censetur. 3. Debet esse in fide divina bene radicus. 4. Obediens: nisi enim se regi ab alio patiat, ait Climacus, jam non indiget dæmone tentante se, quia factus est sibi dæmon. 5. Humilis, ut etiam spreus non deiciatur: quia Spiritus sanctus, qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione se subtrahet, cum superbis Deus resistat. 6. Debet esse orationi, & devotioni addictus: quia ejusmodi, ait Greg. in dial. quodam intimo sapore percipiunt, & quod a bono Spiritu, vel quod ab illusione procedit, discernunt. 7. Servandum monitum Cassiani, Coll. 2. *Tandiu suggestiones noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.*

Conf. 3. Quidquid verum, quidquid bonum, & virtuosum est, id ex Spiritu sancto procedit, qui Joann. 14. est verus, Luc. 11. est bonus. Quidquid falsum, quidquid vitiosum est, id ex Spiritu malo procedit, qui ab

306 *Sabbato Domin. Pentecost,*

ab initio fallax, & malus fuit: sicut ergo omnes veritates & virtutes sunt fructus Spiritus sancti, sic omnes errores & vitia sunt fructus Spiritus diabolici. Vnde ait Ambrosius in c. 5. ad Rom. *Ex actu nomen accipit homo.* Et deinceps infert 1. *Hic spiritu ambulat, qui fugit peccata.* (in epist. ad Gal. c. 5.) 2. S. Antiochus addit hom. 61. *Omnis virtus spiritualis facit.* Veni sancte Spiritus.

MEDITATIO CLXXIV.

Sabbato Domin. Pentecost,

De pleniore Spirituum discretionem.

Aspiciam post Deum (qui Prov. 16. Spirituum ponderator est Dominus) B. Virginem Magistram discretionis Spirituum, à Gerfone dictam, ad quam valde discipulus accedam. Peram scire, cui Spiritui debeam assentiri, cui dissentire.

Conf. 1. Ex proxima meditatione patere, cur exhibant dæmonia (Luc. 4.) à multis, quia erant in mundo, qui ijs plenus est, juxta Chrysostr. homil. 29. in Matth. *Mundus domus diaboli:* nam quis est, qui in mundo non erret? at qui omnis error à malo est, qui mille quandoque veritatibus unam latentem falsitatem tegit, ut decipiat: ideo Christus prohibuit dæmones à veritatis testimonio, uti & Paulus Pythonistas. 2. *Quis est, qui spi-*
ritu